

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV

Weidenfeld, Johann S.

Londini, 1684

93. Aqua Regis Lullii

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

93. Aqua Regis Lullii,

In Exp. XVII.

℞. **M**ercurium bis cum vitriolo & sale communi preparato sublimatum semper cum novis materialibus, contere, & si sublimati fuerit libra una, accipe albumina novem ovorum recentium quod albumen tam diu concutias, ut videatur esse aqua. Mox misce albumen cum illo sublimato, & pone in retortam habentem collum extensum, junge illi receptorium quam optimè clausum, subministrans illi ignem cinerum, in principio levissimum, donec eò gradu destillet. Cessantè autem destillatione augebis ignem: Ultimò dabis ignem violentissimum, atque hoc pacto pars mercurii transibit in aquam, pars verò in mercurium vivum, quod vivum transactum iterum sublimabis & junge cum aqua destillata, prius tamen contritum, ac iterum destillabis ut suprà, iterando magisterium toties donec totum sublimatum transeat & convertatur in aquam. Quare poteris eodem modo multiplicare toties quoties volueris, adjungendo illi semper aquæ sublimatum novum, & destillando donec in aquam convertatur. Accipe igitur hanc aquam & pone in urinali parvo (*cucurbita*) connectens sibi capellum cum receptorio, post destillabis per balneum tamdiu, ut videatur tibi albumen illud immixtum transactum esse, quod ita cognosces; accipe laminam ferream vel cupream, super quam per mitte unam guttam destillationis cadere, quæ si bulliat, & videatur dissolvere, tum amove recipientem, annectendo alterum quamoptimè clausum & destillabis per cinerem, atque iterum per cineres hoc magisterium iterabis septies. Atque ita habebis aquam mercurialem quæ tibi serviet in multis operationibus. Accipe igitur unciam unam salis secundi Experimenti (*Salis Tartari volatilis sub No. 17. dati*) & uncias quatuor istius aquæ (*acidæ jam destillatæ ex mercurio sublimato*) & misce simul, & statim dissolvetur, postquam dissolutum fuerit, destillato per cineres lento igne juncturis optimè clausis, ultimò ignem augebis ut totum sal cum aqua pariter transeat per alembicum, postea in eandem aquam iterum immitte unam alteram unciam salis.

salis, ac per destillationem transmittite totam ut supra, atque hoc pacto reiterabis hoc opus destillationis quater: Singula destillatione adjungens illi aquæ unciam unam de dicto sale. Tum demùm habebis mineralem aquam vegetatam atque acutam, cum augmentatione virtutis, & potentia proficiscentis à dicto sale vegetabili pretiosissimo, sine quo nihil fit.

Ex Receptis annotamus,

1. *Menstrua hujus generis esse menstrua vegetabilia simplicia sexti generis acidis dissoluta. Deme aciditatem & erit iterum sexti generis menstruum.*

2. *Menstrua hæc ex aqua forti confici melius, utpotè acido reliquis fortiori; fieri tamen etiam posse ex quovis alio minus forti, utpotè Aceto destillato, spiritu salis, sulphuris, &c.*

3. *Menstrua hæc inter mineralia simplicia esse optima; tam quoad conficiendi facilitatem quàm virtutis excellentiam.*

4. *Perinde esse, num metallum prius dissolvatur in communi aqua forti, posteaque addatur sal harmoniacum vegetabile: Vel sal dictum prius, & deinde metallum.*

5. *Hæc Aquas Regis differre à communibus, eò quòd promiscuè metalla qualiacumque, tam argentum quàm aurum dissolvant: Et eadem non in calcem sed oleum redigant, quod de vulgari Aqua Regis dici non potest.*

6. *Metalla menstruis hisce dissoluta & sublimata fieri summa artis venena.*